Ozsol. Wili

RMA ET NORMA

ıè, juſtè, piè ac Chriſtianè
di, licèt à Paganis conſcripta, & ex eis
COLLECTA,
tianis tamen Catholicisq; perutilis.
ET
Per ſingulos Anni dies
ISTRIBUTA.
s 100. Meditationibꝰ in Paſſionem totam
CHRISTI DOMINI
XORNATA.
lſiſſimo Magnæ Spei
SISSIMORUM Parentum FILIO,
ublicæ Polonæ futuro TUTORI,
SEPHO SANGUSZKO
RESCHALCIDÆ Mag: Duc: Lithv:
PITANEO Cremenecenſi &c.
leſiæ Kijanenſis Faventiſſimo
LLATORI & BENEFACTORI,
OBLATA.

ANNO DOMINI 1749.



LUBLINI
pis S. R. M. Colleg: Societatis JESU.



JOANNES ALEXANDER *à Trębin* TRĘBINSKI Uq; J. Doctor & Professor, nec non Universitatis Zamoscianæ Rector, Præpositus Cathedralis Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Chełmensis, Canonicus Archicathedralis Leopoliensis, Archidiaconus Lublinensis, Librorum in Diœcesi Cracoviensi Censor. Libellus cui Titulus: *Forma & Norma sobriè, justè, piè ac Christiane vivendi*, tàm ad Eruditionem, quàm ad inflammandã erga DEUM devotionem conscriptus, imprimatur. *Idem qui supra mpp.*







CELSISSIME DOMINE DOMINE PRINCEPS,

Ac

DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME

PAtieris Excellentissime PRINCEPS, Cujus Patrocinii possessionem inire desidero, dum hæc temere in aliis sparsa, hic ad utilitatem collecta, in clientelam Nominis Tui danda existimo, à me quam paucissimis in limine appellari. Errárem utiq; si neq; in prodigiosa Passionis Dominicæ nocte, lacteam aliquam viam inquirerem, neq; ad illustrandam piè Christianeq; vivendi Normam ab aliquo non dignitatis modo, sed multiplicis exempli lumine lucem publicam compararem. Hæc omnia Domi Tuæ reperio PRINCEPS Celsissime, in Cujus ore candoris indolisq; plenissimo collactaneum superis animum in aurora vitæ Illustrissimum vitæ exemplar sub aspectū mihi venire puto. Ut enim lucem aspe-

xiſſet annus hic Te ſibi pro ſole vendicavit: Quid enim in Te non ad pompam ſyderum quid non ad gloriam olympi, primam in Te auroram vitæ agnoſcunt universi quam explicas à vultu gratiſſimo, jamq; illis ſuperum æſtibus incaleſcis ad gloriam, quos vix ſoles excitare ſolent ad ipſum provecti meridiem; Annoſa etenim in Te quamvis juvene pietas virtuſq; eminet; in parva ætate magnum virum mirantur ſinguli. Vix pueritiam incepiſti, & jam ad illam virtutum molem evectus, cui vix grandior magnitudo ſufficeret, quia non tàm annis diſtingvere vales ætatem, quàm potiùs pulchris animi dotibus. Ille etenim es à quo velut à fonte rivuli, à ſole radii, ab olympo atomi emanant pietatis moles; Te amant virtutum decora, & unanimi voto ad eum tanquam ad ſuum collimant finem. Ergo cum tanto fulgeas ornamento animi, etiam exiguum Opus Celſiſſimo adornes nomine, ut meliùs adorneris, fert etenim ſenſus: Qui Sanctus eſt ſanctificetur adhuc; Qua propter Forma & Norma hæc ab invicem reſpondeat. Vivas

igitur

igitur CELSISSIME PRINCEPS CLEMENTISSINE DOMINE, *ut charæ ſoboles* Celſiſſimorum Parentum *ut decus columenq; Reipublicæ, ut luminare Proſapiæ, ut Patriæ ſpes infallibilis, vivas ut honor Dignitatum, donec poſt millenos ſine nube ſoles meritis plenum, glorioſa ſenectute adornatum ſuperi Te ex Regum ſubſelliis, ad Regnum Cœleſtis gloriæ transferant.*

Sic precatur

CELSISSIMO NOMINI
TUO,

Devinctiſſimus
Servus.

*** † ***

AD LECTOREM.

NOn te moveat authoritas dicentis, nec quis, ſed quid dicat, intendito. Seneca de 4. virtutibus.

Si boni eſſe volumus, omnia adjumenta, & auxilia petamus bene vivendi. Cicero lib. 4. Tuſcul: q. in Calce.

Imbecillioribus ingeniis neceſſarium eſt aliquem præire, ut dicat: hoc vitabis, hoc facies. Seneca Epiſt. 94.

Quotidiè aliquid compara, & cum multa legendo percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas: hoc ipſe quotidie facio, ex pluribus lego, aliquid apprehendo. Senec. Epiſt. 2.

Unam ſemel ad quam vivas regulam prende, & ad hanc omnem vitam tuam exæqua. Seneca Epiſt. 20.

JANU-



JANUARIUS.

1. DEUM cole, amicis ſuccurre, veritatem ſuſtineto, legibus pareto. *Solon Athenienſis.*

2. Egreſſurus domo tecum expendito, quid foris agere velis: domum ubi redièris, quid egeris reputato. *Cleob:Lyndius in ſent: ſent.2.*

3. De dubiis non definias, ſed ſuſpenſam teneas ſententiam. *Seneca de 4. virtutibus.*

4. Non quibusvis credere oportet, ſed prius conſidera, an vera dicantur. *Plato tom: 3. ſiſygia 6. in dialogo Demodeci.*

5. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem velles vivere. *Seneca Epiſt: 47.*

6. Quæ gratis accipis à DEO præſta gratis. *Sixtus Philoſ. ſent. 233.*

7. Audito multa: loquere pauca. *Bias.*

8. Omnibus modis fulciendi ſunt, qui ruunt. *Cicero lib. 3. Tuſcul.*

Si

9. Si qulcher es, bona fac, ſi deformis, naturæ defectum bonis actibus compenſa. *Demetri: Phaler.*

10. A verbis turpibus abſtineto, quia eorum licentia impudentiam nutrit. *Seneca de 4. virtut.*

11. Iratus de re incerta contendere noli, impedit ira animum nè poſſit cernere verum. *Cato lib. 2. Diſtich. Met. 17.*

12. Vigilandum eſt ſemper, multæ ſunt inſidiæ bonis. *Cic: Orat: 13. pro Plaut.*

13. Verba tua, pietate ſemper plena ſint. *Sixt. Phil. ſent. 214.*

14. Quod facere inſtitueris noli prædicare, nam ſi facere nequiveris rideberis. *Pythagorás.*

15. Mutare te loca, & in alium de alio tranſire nolo; quia tam frequens migratio inſtabilis animi eſt. *Senec: Ep. 69.*

16. Inter loquendum non eſt agitanda manus, eſt enim vecordis. *Diogenes l. 1.*

17. Infortunium tuum cælato, nè voluptate afficias inimicos. *Periander Coriath.*

18. Evitanda eſt curioſitas verborum. *Plato de Regno.* Tur-

19 Turpia fuge, moribus probatus eſto, oderis calumnias. *Clito Lacæde.*

20 Ignoſcas aliis multum, tibi nihil. *Pittacus.*

21. Amicos ſecretò admone, palam autem lauda. *Seneca de moribus*

22 Dignus eſto eo qui te dignatus eſt filium dicere, & age omnia ut filius. *Sixtus Philoſ: ſent. 51.*

23. Voluptates repudiandæ ſunt, & moleſtiæ non recuſandæ. *Cicero lib. de Finibus.*

24 In omnibus tàm maximis, quàm minimis, debet implorari auxilium DEI. *Plato tom: 3. ſizygiâ 5tâ in dial. Timæi.*

25 Satage non tàm videri, ſed eſſe juſtus, certum eſt enim non eſſe eum, qui videri vult eſſe. *Sixtus Philoſ: ſent. 57.*

26 Tales ſani perſeveremus, quales nos futuros profitemur infirmi. *Plinius Junior lib. 7.*

27 Si imbecillior eſt qui te læſit, parce illi: ſi potentior, tibi. *Seneca de Ira l. 3.*

28 Stude communiter omnibus bene facere. *Sixt. ſent. 251.*

29 Non alios culpemus, ſed noſmetipſos. Alios accuſare in calamitate ſua hominis eſt ineruditi, ſeipſum; ejus qui erudiri cœpit: Nec ſe autem nec alium, eruditi. *Epictetus in enchirid: lib.10.*

30 Da operam, ut quidquid neceſſe futurum eſt, nunquam invitus facias. *Seneca Epiſt. 62.*

31. Dum furor in curſu eſt currenti cede furori, difficiles aditus impetus omnis habet. *Ovidius de remed. amor.*

FEBRUARIUS.

1. NE tibi quid deſit, quæſitis utere parce. *Cato l. 1. diſtich: metro 46.*

2. Si vis ſenem agere, & implere vitam, non annis adijciendum, ſed voluptatibus detrahendum. *Senec. Epiſt. 20.*

3. Ore prius DEUM habeto & mente quàm reſpires. *Sixtus Philoſ: ſent. 279.*

4. Convivia externa & popularia devita. *Epictetus in ſuo enchirid. cap. 45.*

5. Animadverte quod ſenſu tibi carendum ſit poſt mortem, omniq; voluptate, & vermium quandam vaſtitatem ti-

bi ob

bi ob ocnlos repræſenta, ut non in alteram vitam ſis moriturus. *Plato tom. 3. ſizygiâ 6. in dial. Axiochi.*

6. Victus tibi ex facili ſit, nec ad voluptatem, ſed ad cibum àccede. *Seneca de 4. virtutibus.*

7. Vincere cum poſſis, interdum cede ſodali: Obſequio quoniam dulces retinentur amici. *Cato lib. 1. diſtichorum metr. 66.*

8. Vive memor mortis ut ſis memor & ſalutis. *Chilo Lacædem: in dicteriis ſapientûm.*

9. Si vis beatus eſſe, ſi fide bona vir bonus, ſine, contemnat te aliquis. *Seneca Epiſt. 71.*

10. Supplicibus miſericors eſto, ſapientûm utere conſvetudine, bonos in pretio habeto. *Periander.*

11. Non amplius poſſideas, quàm uſus corporis poſcit. *Sixtus Philoſ: ſent. 107.*

12. Quantò ſuperiores ſumus, tantò ſubmiſſius nos geramus. *Cicero lib. 1. Officiorum.*

13. Sis ſine exprobratione correptor ità; ut ad-

ut admonitionem hilaritate prævenias. *Senec. de 4. virtut.*

14. Quidquid promiſeris facito. *Periander Corinthius in dicter. ſapient.*

15. Rebus mundanis, in cauſis tantùm neceſſariis utere. *Sixt. Phil. ſent. 16.*

16. Metuenda declina, & quidquid conſilio proſpici poteſt, proſpice. Quodcunq́; læſurum eſt, multo antè quàm accidat, ſpeculare & averte. *Seneca Epiſt. 98.*

17. Rebus ſecundis ne efferaris, adverſis ne dejiciaris. *Cleobulus Lyndius in ſent. ſen. 6.*

18. Divinum Numen placandum eſt, atq́; demulcendum, precibus & ſacrificiis. *Plato tom. 1. ſizygiâ 2. in dialog: Theaſis.*

19. Nec te collaudes, nec te culpaveris ipſe: hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis. *Cato lib. 2. diſt. metr. 40.*

20 Semper ante oculos DEUS eſt habendus, ut ſic, tanquam illo ſpectante vivamus. *Seneca Epiſt. 11.*

21. Non debes aliis detrahere, quod uni ſis,

ſis obſequentior. *Plutar: problem: 2.*

22. Si vis cum lætitia animi vivere, noli multa agere: in multis enim actionibus minor eris. *Sixtus Phil: ſent. 253.*

23. Si prudens eſt animus, tribus temporibus diſpenſetur: præſentia ordina, futura provide, præterita recordare. *Seneca de 4. virtut.*

24 Quod potu peccas, ignoſcere tu tibi noli; nam nullum crimen vini eſt, ſed culpa bibentis. *Cato lib. 2. diſt. metr. 50.*

25. Triſtitiam ſi potes, nè admiſeris: ſin minus nè oſtenderis. *Senec. de moribus.*

26 Conſulta oportet operari velociter, conſulere autem tarde. *Ariſt. Eth. 6.*

27. Ne cui miniteris, eſt enim muliebre. *Cleobaldus Lyndius.*

28. A vitiis abſtine, pietatem ſectare. *Periander.*

MARTIUS.

1. Inſipiens eſto cum tempus poſtulat, aut res: ſtultitiam ſimulare loco, prudentia ſumma eſt. *Cato lib. 2. diſtich. metr. 44*

Quod

2. Quod de alienis tractas, ex tuis judices. *Seneca de moribus.*

3. Acquire poſſeſſionem animæ firmam, virtutem. *Sixt. Phil. ſent. 69.*

4. Ad eos quos adverſa & iniqua fortuna premit, cupidè & ultrò eundum eſt, nec expectandum uſq; dum voceris. *Ariſt. l.9. de moribus c. 11.*

5. Alium re, alium fide, alium gratiâ, alium præceptis ſalutaribus adjuva. *Seneca l. 1. de Benefic. c. 2.*

6. Tantùm cibi & potionis adhibendū eſt, ut reficiantur vires non opprimantur, *Cato major.*

7. Stude, non ut plus aliis ſcias, ſed ut melius. *Seneca Epiſt. 89.*

8. Revereatur vitam tuam mundus, nihil admittas, quod tibi invehat notam. *Sixt. Phil. ſent. 33.*

9. In omnibus quid tempora petant, conſiderandum eſt. *Cic. lib. 2. de inven. Rhetor.*

10. DEUM time prius & ama, ut ameris à DEO. *Seneca de 4. virtut.*

11. Non eſt ſegnitie, neq; mollitie re-

mitten-

mittendus animus. *Plato tom.* 2. *ſizyg:* 4. *in dial. Alcibiadis.*

12. Cum improbo viro non facias iter. *Publius Mim.*

13. Non altiori rei te imponas, in qua tibi ſtanti tremendum, aſcendenti cadendum ſit. *Seneca de* 4. *virtut.*

14. Noli cito loqui, eſt enim inſaniæ indicium. *Bias.*

15. Non aſpernandi ſunt pauperes, ſatis ipſis in ipsa paupertate eſt mali. *Demoſthenes contra Eub.*

16. Cavendum eſt ne aſſentatoribus patefaciamus aures, neq; adulari nos ſinamus in quo falli facile eſt. *Cicero lib.* 1. *officiorum.*

17. Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tàm audacter cum illo loquere, quàm tecum. *Seneca Epiſt.* 3.

18. Firmandus eſt animus ad dolorem ferendum. *Cic. lib.* 1. *Tuſcul.*

19. Memento ſic in vita eſſe verſandum, tanquàm in convivio: ſi quid enim circumfe-

cumferendo ad te pervenerit, porrectâ manu modestè capito: præterit? ne detine: Nondum adest? ne longe appetitum extendito, sed expecta dum ad te perlatum fuerit. *Epictetus in suo Enchiridio c. 21.*

20 Irascitur aliquis: tu contra beneficiis provoca. *Seneca lib. 2. de ira cap. 34.*

21. Nosce te esse hominem, fer mansvete fortunam. *Cic. lib. 4. de Arte Rhet: ad Herennium.*

22 Consilia tibi salutifera advoca. *Seneca de 4. virtut.*

23. Despice divitias, si vis animo esse beatus *Cato lib. 4. dist. metr. 5.*

24 Doctrinam ex qua proficere potes in amore Dei illam necessario expete. *Sixt. Phil. sent. 244.*

25. Servis tuis hilarem te præstes, non superbè superiorem, colant te potius, quàm timeant. *Seneca Epist. 47.*

26 DEUS ante omnia opera invocandus. *Plato de Legibus.*

27 Si contra mortem te præparaveris, faciet te firmum assidua meditatio. *Seneca Epist. 82.*

Inimi-

28. Inimicitias tardè suscipe amicitias exerce moderatè. *Seneca de moribus.*

29 Primum considera cujusmodi res sit quam aggredi volueris; deinde, natura tua quoq; eamnè ferre queat explora. *Epictetus in suo enchirid: cap. 36.*

30. A familiaribus in minutis rebus læsus, feras. *Pittacus Myttileneus.*

31. Nè gaudeas vanis, fundamentum hoc est bonæ mentis. *Seneca Epist. 2.*

APRILIS.

1. IN actibus tuis ante oculos pone DEUM. *Sixt. Phil. sent. 215.*

2. Non quàm multis placeas, sed quib9, stude. *Seneca de moribus.*

3. Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento. *Cato l. 2. distich: metro 21.*

4. Fidelis volens esse, præcipuè quidem hoc nitere, ne pecces, quod etiamsi forte acciderit, saltem cave ne iteretur id ipsum. *Sixt. Phil. sent. 238.*

5. Affabilem te dum vivis, omnibus desidera-

ſiderabilem cum exceſſeris redde. *Seneca l. 2. de ira.*

6. Promiſſa ſervanda non ſunt, ſi tibi plus noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris. *Cicero lib. 1. Officiorum.*

7. Quæ mundi ſunt, mundo; & quæ Dei ſunt, reddantur DEO. *Sixtus Philoſ: ſent. 17.*

8. Oportet in omnibus rebus præſtabiliorem imitari. *Ariſt. lib. 9. Ethic ad Nicomach.*

9. Nullius ſenſum ſi prodeſt, tempſeris unquam. *Cato lib. 3. diſtich. metr. 10.*

10. Oportet privatis utilitatibus, publicas, mortalibus æternas anteferre. *Plin. 11. l. 7. epiſt. ad Canin.*

11. Qualis vis eſſe dum Deum oras, talis ſemper eſto. *Sixtus Philoſ: ſent. 72.*

12. Relinque corporis atq; animi voluptates, molliunt enim & enervant. *Seneca Epiſt. 84.*

13. Ne quid eſſe videri velis, quod ſi quid aliis eſſe videris, ipſe tibi diffidito. *Epictet. in Enchirid.*

14. Quod bonum eſt hoc ſolum te de-

cere puta. *Sixtus Philoſ. ſent. 186.*

15. Alterius dictum, aut factum ne carpſeris unquàm. Exemplo ſimili ne te derideat alter. *Cato l.3. diſt. metr.7.*

16. Aſveſce & dicere verum, & audire. *Seneca Epiſt. 68.*

17. Calamitas æquo animo ferenda eſt, & ſi quid humanitus contigerit, non eſt impatienter lugendū. *Plato tom. 2. ſizyg: 4. in dial. Menexeni.*

18. Quantumcunq; potes celato crimen amici. *Cato lib. 3. diſt. metr.3.*

19. Criminatores adverſus Sapientiæ ſtudioſum noli admittere. *Sixt. Philoſ. ſent. 250.*

20 In hoc incumbe, ut libentius audias, quàm loquaris. *Seneca de moribus.*

21. Riſus ne ſit multus, nec ob multa, nec effuſus. *Epictetus in ſuo enchirid. cap. 43.*

22 Habenda eſt ratio rei familiaris, quā quidem dilabi ſinere, flagitioſum eſt. *Cicero lib.2. officiorum.*

23. Claudendæ ſunt aures malis vocibꝰ, & quidem primis: nam cum initium fe-

cerunt admissæq; sunt, plus audent. *Seneca Epist. 123..*

24 Non verbum, sed ratio præcedat actus tuos. *Sixtus Phil. sent. 66.*

25. Quem superare potes, interdùm vince ferendo. *Cato l. 1. dist. metr. 74.*

26 Non sit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas. *Seneca de 4. virtut.*

27 Esto animo forti, cum sis damnatus iniquè; nemo diu gaudet, qui judice vincit iniquo. *Cato l. 2. dist. metr. 15.*

28 Sapientem hominem tanquam Dei ministrum honora post Deum. *Sixt: Phil. sent. 303.*

29 Neminem susurro appetas, neminem suffodias, palam aggredere. *Seneca de 4. virtut.*

30. Rebus in adversis animum submittere noli. *Cato lib. 2. dist.*

MAJUS.

1. CONsilium arcanum tacito committe sodali. Corporis auxilium Medico committe fideli. *Cato lib. 2. dist. cap. 60.*

Occur-

2 Occurrendum augeſcentibus vitiis, & medendum eſt. *Plin. 11. lib.9.epiſt. 37. ad Paulin.*

3 Amabilis eris DEO, ſi in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodeſſe, & nulli nocere. *Seneca de 4. virtutibus.*

4. Sit tibi præcipuè quod primum eſt cura ſalutis, tempora ne culpes cum ſis tibi cauſa doloris. *Cato lib. 2. diſtich. metr. 66.*

5 Inſveſce te ipſum corpori præbere quæ ſunt caſtè, & animæ quæ ſua ſunt piè. *Sixt. Phil. ſent. 398.*

6. Omnia conſilia atq; facta ad virtutem referamus: *Cic. Orat. 56. Philip.*

7. Eum elige adjutorem, quem magìs admireris cum videris, quam cum audîeris. *Senec. Epiſt. 52.*

8. Tempora longa tibi, noli promittere vitæ. *Cato l. 4. diſtich.*

9. Auribus frequentius, quàm lingva utere. *Seneca de moribus.*

10. Intellige quæ ſint bona, ut bene agas. *Sixt. Phil. ſent. 49.*

11. Mediocritatem in vita ſequi oportet,

non exceſſus. *Ariſt. l. 4. Polit. c. 11.*

12. Citius ad infortunatos amicos, quàm fortunatos proficiſcere. *Cleob: Lyndius.*

13. Vires tuas amici magìs ſentiant beneficiis, quam injuriis. *Seneca de moribus.*

14. Quod donare potes, gratis concede roganti. *Cato l. 4. Diſtich.*

15. Gere morem parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus. *Cic. lib. 4. de arte Rhetor.*

16. Fortior ut valeas, interdùm parcior eſto: Pauca voluptati, debentur plura ſaluti. *Cato lib. 2. diſtich.*

17. Infelicem erige, ſubmitte felicitatem. *Seneca de moribus.*

18. Quod fieri neceſſe eſt, voluntariè ſacraficato. *Sixtus Phil: ſent. 375.*

19. Zelum de DEO tantùm habeas, non contra homines. *Seneca in Proverb.*

20 Fac tibi proponas mortem non eſſe timendam: Quæ bona ſi non eſt, finis tamen illa malorum eſt. *Cato lib. 3. diſtich.*

21. Sic certe vivendum eſt, tamquàm in

con-

conſpectu vivamus: Sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus inſpicere poſſit. *Seneca Epiſt. 83.*

22 Ne quæras fraude diteſcere. *Thales Phil: in ſuis ſent: ſent. 5.*

23. Ne cures ſi quis tacito ſermone loquatur: conſcius ipſe ſibi de ſe putat omnia dici. *Cato lib. 1. diſtich.*

24 Lauda parcè, vitupera parcius; nam reprehenſibilis eſt nimia laudatio. *Seneca de 4. virtut.*

25. In defunctum maledicta non congerito. *Solon Athenienſis ſent. 9.*

26 Inſtruenda eſt vita exemplis illuſtribus. *Senec: Epiſt. 83.*

27 Dilige ſic alios, ut ſis tibi charus amicus. *Cato lib. 1. diſt.*

28 Nihil tibi liceat dum iraſceris, quare? quia vis omnia licere. *Seneca lib. 3. de ira cap. 12.*

29 Ea facito, quorum non poſſit pœnitere. *Periander.*

30 Sis vanæ gloriæ contemptor, & bonorum quibus præditus es non acerbus exactor. *Seneca de 4. virtut.*

31. Majori cede, minori parce. *Cato de præceptis vitæ communis.*

JUNIUS.

1. MAnſvetè immanſveta tractanda ſūt. *Ariſt. l. 3. de Ira c. 7.*

2 Inſveſce lingvam tuam bene proloqui & maximè cum de DEO ſit ſermo. *Sixt. Phil. ſent. 74.*

3 Noli tu quædam referenti credere ſemper; exigua eſt tribuenda fides, qui multa loquuntur. *Cato lib. 2. diſtich.*

4. Vis Deum propitiare? bonus ſis. *Seneca Epiſt. 95.*

5. Feras quod lædit, ut quod prodeſt perferas. *Publius Mim. ſent. 145.*

6. Ab his incipe, ut non auferas, ſed aliis ablata reſtituas. *Seneca de 4. virtutibus.*

7. Quod tibi ſuſpectum eſt, confeſtim diſcute quid ſit. *Cato lib. 4. Diſtich.*

8. Tene hoc mordicus: adverſis non ſuccumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam irridere. *Seneca Epiſt. 78.*

Bene-

9. Beneficii accepti memor eſto. *Cato de præceptis vitæ communis.*

10. Invidiam effugies, ſi te non ingeſſeris oculis, ſi bona tua non jactaveris, ſi ſcieris in ſinu gaudere. *Seneca Epiſt. 95.*

11. Ea poſſide, quæ nullus poſſit auferre à te. *Sixt. Phil. ſent. 110.*

12. Reſpice celeritatem rapidiſſimi temporis, cogita brevitatem hujus ſpatii per quod citatiſſimi currimus. *Seneca Epiſt: 99.*

13. Quæ nocitura tenes, quam vis ſint chara relinque. *Cato lib. 1. diſt.*

14. Eſto vitiorum fugax, aliorum vero neque curioſus ſcutator, neq; acerbus reprehenſor. *Senec. de 4. virtut.*

15. Si benignus fueris erga indigentes, magnus eris apud DEUM. *Sixtus Philoſ: ſent. 45.*

16. Amicos beneficiis fove, quo fiant amicitiores: amicis bene fac quo fiant amici. *Cleobulus Lyndius in ſent. 1.*

17. Teſtimonium veritati, non amicitiæ reddas. *Seneca de 4. virtutibus.*

Caſto-

18. Caſtorum vita, ſit tibi honeſtatis exemplum. *Sixtus Philoſ: ſent. 272.*

19 Si vultis nihil timere, cogitate omnia eſſe timenda. *Seneca l. 6. quæſt: cap. 2.*

20 Cum te aliquis laudat, judex tuus eſſe memento. *Cato l. 1. diſtich.*

21. Omnia cum amico delibera, ſed de te ipſo prius. *Seneca l. 2. offic.*

22 Cogita quid antecedere, quid ſequi ſoleat, atq́; ita rem gerendam ſuſcipito. *Epictetus in Enchiridio c. 35.*

23 Quorum laudes contemnis eorum neq́; derogationes magni pendas. *Sixt. Phil. ſent. 289.*

24 Nihil ex arbitrio virium feceris. *Cato de præc. vitæ commun.*

25 In durandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum abſtrahendus. *Seneca Epiſt. 51.*

26 A jure jurando abſtine. *Periander Corinth.*

27 Ne lingva præcurrat mentem. *Pittacus Mytil.*

28 Dabo tibi poculum amatorium ſine

herbis

herbis, atq; veneficiis; si vis amari ama. *Seneca Epist. 9.*

29 Ne sis unquam elatus inferiores ne rejcias. *Cleobulus Lyndius.*

30 Quod sequitur specta, quodq; imminet ante videto. Illum imitare DEUM qui spectat utrumq;. *Cato lib. 2. distich.*

JULIUS.

1. VIs omnibus esse notus? prius effice ut neminem noveris. *Seneca de moribus.*

2 Plus aliis de te, quam tu tibi credere noli. *Cato l. 2. dist.*

3 Prius intellige, & deinde ad opus accede. *Bias.*

4. Si vis omnem sollicitudinem exuere, quidquid vereris nè eveniat, eventurum utiq; propone. *Seneca Epist. 24.*

5. Est jusjurandum affirmatio Religiosa: quod autem affirmando DEO, teste promiseris, id tenendum est. *Cicero l. 3. offic.*

6. Pasce animam tuam verbo Dei & corpus

corpus simplicibus cibis. *Sixt. Philos. sent. 399.*

7. Si famam servare cupis (dum vivis) honestam; fac fugias animo; quæ sunt mala gaudia vitæ. *Cato l.4. distich.*

8. Rumoribus, criminibus, suspicionibus, minime sis credulus. *Seneca de 4. virtutibus.*

9. In hoc unum incumbe, omni studio, ne malus, sed potius vir bonus videaris. *Plato tom: 3. sizygiâ 2. de scientia.*

10. Ingratitudinem tu cave, tanquam maximum crimen ne admittas. *Seneca l.1. de benefic. c.20.*

11. Nisi o fili tuum corpus oderis, te ipsum amare non poteris quam primum vero non te, sed DEUM ipsum dilexeris. *Trismegistus lib. de potest: & sapient. Dei cui tit: Pimander.*

12. Patere legem, quam ipse tuleris. *Cato de præc: vitæ comm.*

13. Animum debes mutare non cælum: licet vastum trajeceris mare, sequuntur te quocunq; perveneris, vitia. *Seneca Epist: 28.*

Quid-

14. Quidquid promiſeris facito. *Periander.*

15. Quod juſtum eſt petito, vel quod videatur honeſtum: nam ſtultum eſt petere id, quod poſſit juſtè negari. *Cato l.1 diſtich.*

16. Non facias tui juris, quod alienum eſt. *Seneca Epiſt.77.*

17. Oculis moderare. *Periander Corint:*

18 Nihil pretioſum ducas, quod auferre poſſit à te homo malus, *Sixt:Phil. ſent.122.*

19. Relinque ambitum, tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum habet terminum. *Seneca Epiſt. 84.*

20 In ſecundiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio amicorum, neq; major quam ante eſt tribuenda authoritas. *Cicero lib. 1. offic.*

21. Id agamus ut meliorem vitam ſequamur, quam vulgus: ſuſpiciant omnes vitam noſtram, ſed & agnoſcant. *Seneca Epiſt. 5.*

22. Etiam in cogitationibus tuis mundus eſto. *Sixt. Phil. ſent. 50.*

Quod

23. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. *Seneca de moribus.*

24 Affabilis esto, diutinam amicitiam custodi, concordiam sectare. *Periander Corint.*

25 Utere quæsitis modicè cum sumptus abundat: Labitur exiguo quod partum est tempore longo. *Cato lib. 2. distich.*

26 Sic vivamus, sic loquamur, ut paratos nos inveniat atq; impigros fatum. *Seneca Epist. 107.*

27 Mediocritatem in vita sequi oportet, non excessus. *Arist. l.5. Polit. c. 11.*

28 Observa leges circa piaculũ non violandas. *Epictet: in Enchirid. c. 54.*

29 Sis occultator virtutum, sicut alii vitiorum. *Seneca de 4. virtut*

30 Minorem te ne contempseris. *Cato de præc. vitæ comm.*

31. Amicis adversa fortuna utentibus, idem esto. *Periander.*

AUGUSTUS.

1. AD unum solumq; DEUM tendamus, in com-

incomparabile enim bonum eſt, ſine termino infinitum. *Triſmegiſtus lib 1. de poteſt: & ſapient. Dei cui tit: Pimand.*

2. Quid tibi vitandum præcipuè exiſtimem, quæris? turbam: nunquam illi te tuto commiſeris. *Seneca Epiſt. 7.*

3. Ebrietatem, quaſi inſaniam fuge. *Sixtus Phil. ſent. 261.*

4. Bonis benefacito, maledicus ne eſto. *Cato de præc: vitæ comm.*

5. Inter pocula non eſt admonendum. *Plutar: de amicis & adul:*

6. Si vis gratos habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, ſed & amès. *Seneca l. 1. de Benef.*

7. Quod merito pateris patienter ferre memento. *Cato l. 3. diſtich.*

8. Quæ obſervanda tibi ſint, ut tutior vivas, dicam: Nihil æquè prodeſt quàm minimum cum aliis loqui, plurimum tecum. *Seneca Epiſt. 105.*

9. Quæ fieri non poſſunt cave concupiſcas *Pittacus Mytılen.*

10. Rem tibi quam noſcas aptam dimittere noli. *Cato l. 2. diſtich.*

Ita

11. Ita vive ut nihil mali committas. *Seneca Epist. 3.*

12. Hæc posce à DEO, quæ dignum est præstare DEUM. *Sixt. Phil. sent. 114.*

13. Si fortuna juvat, caveto tolli. *Periander.*

14. Desidiosus nè esto. *Pittacus Mytileneus.*

15. Interpone tuis interdum gaudia curis. Ut possis animo quemvis sufferre laborem. *Cato l.3. distich.*

16. Præscribe tibi formam quandam & legem quam custodias, quamq́; & ipse tecum, & in congressibus hominum observes. *Epict. in Enchir: c.40.*

17. Non delectent verba nostra, sed prosint. *Seneca Epist. 75.*

18. Ubi semel quis peieraverit, ei credi postea (etiamsi per plures Deos juret) non oportet. *Cic. Orat: 3 pro Rabirio.*

19. Quod pati non vis ab alio, neq́; id facias. *Sixt: Phil. sent: 169.*

20 Præstabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, omnibus æquitatem. *Seneca de moribus.*

Fugien-

21. Fugiendum eſt illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſa, quô nihil poteſt eſſe ſtultiùs. *Cicero lib. 1. offic.*

22. Aures tuas non omnibus committas. *Sixt. Phil. ſent. 395.*

23. Non vis eſſe iracundus? ne ſis curioſus: qui inquirit quod de ſe dictum ſit, ſe ipſum inquietat. *Seneca lib. 3. de ira cap. 11.*

24 Conandum eſt pro viribus, educationis, ſtudiorum, doctrinarum diligentiâ, improbitatem repudiare, probitatē capeſſere. *Plato tom. 3. ſizyg: 5. in dialogo Timæi.*

25. Cogitationes vagas, & inutiles velut ſomnio ſimiles non recipies, ſed cogitatio tua ſtabilis & certa ſit, ſive deliberet, ſive quærat, ſive contēpletur nō recedat à vero. *Seneca de 4. virtut.*

26 Jusjurandum ſerva, vino tempera. *Cato de præceptis vitæ commu.*

27 Age quæ juſta ſunt. *Periander Corin:*

28 Cupiditatem comprime, ſi non potes paululum remitte. *Seneca de morib.*

29 Judicium populi nunquam contem-

pſeris unus; ne nulli placeas dum vis contemnere multos. *Cato l.2. diſtich.*

30. Injurias fortunæ quas ferre nequeas, diffugiendo relinquas. *Cicero l. 5. quæſt. Tuſcul.*

31. Ne efferaris gloriâ. *Periander Cor.*

SEPTEMBER.

1. EA debes velle, quæ & DEUS vult. *Sixt. Phil. ſent. 126.*

2. Reconciliatio tua & facilis ſit & certa. *Seneca Epiſt. 105.*

3. Pauca in convivio loquere. *Cato de præceptis vitæ comm:*

4. Juſtus ut ſis, non ſolum non nocebis, ſed etiam nocentes prohibebis. *Senec. de 4. virtut.*

5. Non te impediat à benefaciendo homo ingratus. *Sixt. Phil. ſent. 319.*

6. Quæ culpare ſoles ea tu ne feceris ipſe: Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum. *Cato l. 1 diſtich.*

7. Percuſſit te quis, recede; referiendo enim occaſionem ſæpius feriendi dabis. *Seneca l. 4. de Ira.*

8. Bonos in pretio habeto. *Perian: Cor.*

Pere-

9. Peregrini non ſunt pellendi, neq; à finibus noſtris arcendi, ſed perhumaniter excipiendi. *Plat:tõ:2. ſyzyg:4. l.12.*

10. Devita crudelitatem, & miniſtram crudelitatis irám. *Seneca de moribus.*

11. Ne ſis ventoſus dum vis urbanus haberi. *Cato lib. 1. diſtich.*

12. Non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem. *Cicero l 6. Ep. 1. ad Torquatum.*

13. Continentiam ſi diligis, circumcide ſuperflua, & in arctum deſideria tua cõſtringe. *Seneca de 4. virtutibus.*

14. Inſtrue præceptis animum, nec diſcere ceſſes: Nam ſine doctrina vita eſt quaſi mortis imago. *Cato lib. 3. Diſtich.*

15. Contentus eſſe mediocribus ſtude. *Sixt: Phil. ſent. 90.*

16. Sic demus, quomodo vellemus accipere: ante omnia libenter, cito, ſine ulla dubitatione. *Senec: l. 2. de Benef. c. 1.*

17. Quemadmodum in ambulando caves ne clavum calces, pedemve diſtorqueas; ſic in degenda vita cave ne gubernatricem actionum mentem tuam lædas. *Epictetus in enchirid: cap. 60.*

18 Quidquid facies respice ad mortem. *Seneca Epist.114.*

19 Audacter roga Deum bonam mentē, bonam valetudinem animi, deinde corporis. *Seneca Epist. 10.*

20 Ei qui beneficium dederit, referendum beneficium est, & rursus is qui accepit, alterum beneficio provocare debet. *Arist. l. 4. de morib. c. 5.*

21. Cum dubia in certis versetur vita periclis, pro lucro tibi pone diem quocunq; laboras. *Cato lib. 1. distich.*

22 Quantum laboras pro corpore, si tā-tum labores pro anima, sapiens eris. *Sixt: Phil. sent: 291.*

23. Remove existimationem hominum, dubia semper est & in partem utramq; dividitur. *Seneca Epist. 26.*

24 Tollenda est cupiditas, atq; extrahēda radicitùs. *Cic: l.2. de finib.*

25 Execrabile tibi sit etiam justè (vindicandi scilicet causâ) aliquid punire. *Sixt. Phil. sent. 66.*

26 Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. *Seneca Epist. 48.*

27 Somnia ne cures, nam mens humana

quod

quod optat, dum vigilat ſperans per ſomnum cernit id ipſum. *Cato l.2. diſtich:*

28 Nihil temere credideris. *Cato de præc: vitæ comm.*

29 Sermones tui vitam commendent auditoribus. *Sixtus Philoſ: ſent. 167.*

30. Non eſt emolliendus animus. *Seneca Epiſt. 51.*

OCTOBER.

1. Blandus eſto, iraſci ab re noli, neminem irriſeris. *Cato de præc: vit: cō:*

2. Decet non ſolum manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere. *Cic. l.1. offic.*

3. Cum conſideratione promitte, plenius quæ promiſeris, præſta. *Seneca de 4. virtut.*

4. Perſevera ut cæpiſti, & quantum potes propera, quo diutius frui voluptate contemplationis emendato animo & compoſito poſſis. *Seneca Epiſt. 4.*

5. Omne tempus quo de DEO non cogitas, hoc puta te perdidiſſe. *Sixtus Phil. ſent. 47.*

6. In rebus proſperis ad votum noſtrum fluentibus ſuperbiam magnopere & faſtigium arrogantiamq; fugiamus. *Cic. l.1. offic,*

7. Alacres & recti quocunq; res nos tulerit intrepido gradu properemus. *Senec: de consolat. ad Helv.*

8. Memor esto propositi tui. *Plin. 11. lib. 10. epist. 43. ad Trajan.*

9. Tibi diligentissimè est lingva continenda. *Cic.l.1. Epist. ad Quint.fratr.*

10. Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta eunti contemnēdus est iste cōteptus. *Sen.ep.76.*

11. Qualem vis esse proximum tuum tibi, talis esto & tu tuis proximis. *Sixt: Phil. sent. 81.*

12. Succurre paupertati amicorum imo occurre. *Seneca de moribus.*

13. DEO supplica, Parentes ama, cognatos cole, magistrum metue. *Cato de præceptis vitæ comm.*

14 Gratificandum est potius pauperi quā diviti, seni, quàm juveni. *Plato tom.3. sizyg:5. in dial. Phœdri.*

15. Si vis aliquem æstimare, totumq; scire qualis sit, faciem solve, multum enim mali sub illa latet. *Seneca Epist. 80.*

16. Fer quod necesse est, sicut necesse est. *Sixt. Philos.sent. 111.*

Danda

17. Danda est remissio animis, ut meliores acrioresq; requieti surgant. *Senec: de tranquillit. anim. c. 15.*

18. Pecuniæ est fugienda cupiditas; nihil enim est tam angusti animi, tamq; parvi, quam amare divitias. *Cicero de Paradox. c. 5.*

19. Ante circumspiciendum est cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas. *Senec. Epist. 19.*

20 Si quis nunciârit quendam tibi maledicere, ne refuta quæ dicta sunt, responde: nescisse cætera tua vitia, nam alioquin non illa sola fuisse dicturum. *Epict in Enchir: c. 48.*

21. Quantum potes te ipsum coargue, *Seneca Epist: 28*

22 Quæ gratis accipis à Deo, præsta gratis. *Sixt. Phil. sent. 233.*

23. Quod præstare potes, ne bis promiseris ulli. *Cato lib. 1. dist.*

24 Non tibi adscribas quod non eris, nec quod es, nec major quam es videri velis. *Seneca de 4. virtut.*

25. Viri proficientis vitam tibi sume, ac

quidquid tibi visum fuerit optimum, ea sit lex. *Epict. in Enchir. c 75.*

26 Iracundo non facilè credendum est, ne sint aures criminantibus faciles. *Sen. l.2. de Ira c.22.*

27 Demus alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus. *Plin. II. l.2. epist. 17. ad Genitorem.*

28 Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere. *Seneca de moribus.*

29 Veritatem dilige, nihil tam vernaculum sapientiæ quam veritas. *Sixt. Phil. sent. 148.*

30 Theatra frequentare non est necesse. *Epict. in Enchir. c. 49.*

31. Cum alios timueris, te ipsum vere-re, nam sæpè sine aliis esse potes, sine te nunquam. *Seneca de moribus.*

NOVEMBER.

1. EXordium in agendo à DEO sume, quæ agis. *Sixt. Phil. sent. 278.*

2. Meditare mortem: egregia res est mortem condiscere. *Seneca Epist. 27.*

3. Quæcunq; ex rebus transitoriis possides, non mireris; nec magnum æstimes, quod caducum est. *Seneca de 4. virtutibus.*

4. Cogita DEUM præsentem, semper agentem omnia, DEUM unicum voluntate sua cuncta constituentem. *Trismegistus lib. de potest: & sapientia Dei cui tit: Pimander.*

5. Opta ut bene possis facere inimicis. *Sixtus Phil: sent. 204.*

6. Opus aliquod aggressurus ipse tibi subjcito, cujusmodi sit illud opus. *Epictetus in Enchiridio c. 9.*

7. Beneficii accepti nunquam oportet oblivisci, dati protinus. *Seneca de moribus.*

8. Lingva tua sensum tuum sequatur. *Sixtus Philos: sent. 143.*

9. Ne major minorvè cura suscipiatur, quàm causa postulat. *Cicero lib. 1. Officiorum.*

10. Sic habita, ut potius laudetur Dominus, quam Domus. *Seneca de moribus.*

Rebus

11. Rebus in adversis animum submittere noli. *Cato lib. 2. distich.*

12. Sicut in benefactis laudari vis, ita in delictis, patienter accipe si culperis. *Sixtus Philos: sent 278.*

13. Non est accedendum eo, unde liber recessus non sit. *Seneca de tranqil: animi c.5.*

14. Adhibenda est munditia in ornatu, non odiosa neque exquisita nimis. *Cicero lib.1. officiorum.*

15. Si vis tibi omnia subjcere, te subjce rationi, multos reges, si te ratio rexerit. *Seneca Epist.37.*

16. Sis in adolescentia continens, in media ætate justus, in senectute sapiens, in morte sine dolore. *Sodiades.*

17. Ego vos hortor quantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. *Cic. de amicit.*

18. Opportunitatem expectato. *Periander Corint.*

19. Si vis esse felix, cogita hoc primum: contemnere & contemni. *Seneca de moribus.*

Quod

20 Quod non poſuiſti ne tollas, ſed ſufficiant tibi quæ tua ſunt. *Sixt. Philoſ. ſent.* 254.

21. Dicentium eſto tacitus auditor, audientium promptus receptor. *Seneca de* 4. *virtut.*

22 Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quô nos vixiſsê teſtemur. *Plin.*11. *l.*3. *epiſt.*7. *ad Caninium.*

23. Objurgationi ſemper aliquid blandi admiſce, facilius enim penetrant verba, quæ molli vadunt viâ, quàm aſperâ. *Seneca de moribus.*

24 Nè quavis re doleas. *Periander Corinthus.*

25 Sales tui ſint ſine dente, joci ſine vilitate, riſus ſine cachinno, vox ſine clamore, inceſſus ſine tumultu. *Seneca de* 4.*virtut.*

26 Vive ut convenit, delibera tecum, & perpende quid velis: quia ut in illa æterna venias, per iſta exeundum eſt. *Seneca de conſolat. ad Marciam.*

27. Parva peccata & ſi voluntaria fuerint, igno-

ignoſcenda; ſi quis vero per ignorantiam deliquerit, commonefaciendo corrigatur. *Ariſtotel. lib. 2. Oeconom. cap. 2.*

28 Diſcere ne ceſſes, curâ ſapientia creſcit. *Cato l. 4. diſtich.*

29 In omnibus quid tempora petunt, aut quid perſonis dignum ſit, conſiderandum eſt. *Cicero lib. 2. de Invent: Rhetor.*

30 Facillime bonis frueris, ſi ea vitaveris, quæ vituperaveris. *Seneca de moribus.*

DECEMBER.

1. ANte omnia venerare numen. *Pittacus Myttileneus.*

2. Hoc tibi ante diem mortis præſta, ut moriantur in te vitia. *Seneca Epiſt. 27.*

3. Delibera priuſquam agas, & ante quam agas prævide quale ſit quod facturus es. *Sixtus Philoſ: ſent. 85.*

4. Te igitur emenda, onera tibi detrahe, & deſideria ſaltem intra modum contine,

tine, omnem ex animo erade nequitiam. *Seneca Epist.* 104.

5. Danda est opera ut omnes intelligãt (si salvi esse velint) necessitati esse parendum, non voluptati, *Cicero lib. 1. officiorum.*

6. Longe discedendum est, ab omni obscænitate verborum. *Seneca lib. 1. Controver:* 2.

7. Quod male fers, assvesce; feres bene, multa vetustas lenit. *Ovid.2. de art: amandi.*

8. Incontaminatum custodi corpus tuum, tanquam si indumentum acceperis à DEO, & sicut vestimentum corporis, immaculatum servare stude. *Sixt: Phil. sent.* 429.

9. Hoc à te exige: qualem statum institueris præstare te, talem usq; ad exitum serves. *Seneca Epist.* 120.

10. Prospice qui veniunt hos casus esse ferendos: Nam levius lædit, quidquid prævidimus ante. *Cato l. 2. distich.*

11. Quidquid de te dictum fuerit, id ne curato, id enim non jam tui est arbitrii. *Epictet. in Enchirid. c.* 74.

Ani-

12. Animi tui motus corporisq́; obser-va, ne indecori sint. *Seneca de 4. virtutibus.*

13. Plus vigila semper, nec somno deditus esto. *Cato lib. 1. dist.*

14. Hanc sanam & salubrem formam vitæ teneto, ut corpori tantum indulgeas, quantùm bonæ valetudinis sit. *Senec: Epist. 8.*

15. Si DEUS est animus nobis, ut carmina dicunt; hic tibi præcipue sit purâ mente colendus. *Cato lib. 1. distich.*

16. In omnibus negotiis priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens. *Cic. lib. offic.*

17. Mittamus animum ad illa, quæ æterna sunt, miremur in sublime volitantes rerum omnium formas, Deumq́; inter illa versantem & providentem. *Seneca Epist. 58.*

18. Ita perficiendum est, (si quid agere aut efficere vis) ut homines te non solum audiant verum etiam libenter studioseq́; audiant. *Cice. Orat: 4. pro Cæcilio.*

Cumq́;

19. Cumq; mones aliquem nec se velit ipse moneri, si tibi sit charus noli desistere cæptis. *Cato l. 1. distich.*

20 Ira procul absit, cum qua nihil rectè fieri, nihil considerate potest. *Cic. l. 1. Officior.*

21. Sui ipsius sit prius bonus custos, qui alios custodire cupit. *Plato tom. 2. sizyg: 4. l. 3. de Republ.*

22 A turba quantum potes te separa. *Seneca l. 4. quæst:*

23. Vis ciborum voluptatem contemnere? exitum specta. *Seneca Epist. 110.*

24 Videte ne dum terram custoditis, cælum amittatis. *Val: Max. lib: 7. dict. memorab. c. 2.*

25 Recede in te ipsum quantum potes, cum his versare qui te meliorem facturi sunt, illos admitte, quos tu facere potes meliores: mutuo ista fiunt, & homines dum docent, discunt. *Seneca Epist. 7.*

26 Prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quàm proximi ullam culpam reprehendatis. *Cic. Orat. 4. pro Ligario.*

Ut sa-

27 Ut ſapiens vivas, audi quod diſcere poſſis. *Cato lib. 2 diſtich.*

28 Hæc aliis dic, ut cum dicis audias ipſe. *Seneca Epiſt. 96.*

29 Durius tractandum eſt corpus, ne animus male pereat; cibus famem ſedet, potio ſitim extingvat, veſtis arceat frigus. *Seneca Epiſt. 8.*

30 Non ego te jubeo ſemper imminere libro, dandum eſt aliquod intervallum animo, ita tamen, ut non reſolvatur, ſed ut remittatur. *Seneca Epiſt: 15.*

31. Finem vitæ exiſtima vivere ſecundum DEUM. *Sixtus Philoſ. ſent. 191.*

AD
M. † D.
G.



PASSIO CHRISTI

In centum Meditationes breviſſimas immenſum fructum adferentes

DISTRIBUTA.

Ad obtinendam ſalutem æternam legentibus & devotè conſiderantibus

PORRECTA.

Ad Majorem CHRISTI patientis, MATRISq; Doloroſæ Honorem & Gloriam

EXPRESSA.

******** ††† ********

Ad
LECTOREM.

GRatiſſimam quamvis exiguam hanc operam eſſe judicabis, Lector benevole, ſi puncta ejus ſpectaveris & illa in mentis ſede collocaveris. Nihil enim gratius Regi Dolorum præſtare poteris, quam ut Paſſionem Ejus per breviſſima puncta cogitaveris. Quod ut perfectius præſtes, animum, Authorum veritate confirmes, quàm ſit ſaluberrimum cogitare Paſſionem Domini. Qui dicunt:

Simplex recordatio ſeu meditatio Paſſionis CHRISTI *plus valet, quam ſi integrum annum jejunaret quis in pane & in aqua, vel ſi quotidie legeret pſalterium unum, vel ſi quotidie virgis ac flagellis cæderetur uſq; ad effuſionem ſanguinis.* Albertus Magnus.

Nullus omnino poteſt aliquid humiliter de paſſione legere, vel cogitare (licet modico affectu forte id faciat) quin eximium ſalutis fructum inde referat. Bloſius Inſtit. Spir. c. 6.

Nihil

Nihil est, quod ita ab omnium vitiorum impulsu & contagione, cogitationem nostram purificat, & in puritate conservat, sicut jugis memoria Crucis ac Passionis Domini JESU. S. Bernard: de Passio: Domini c.44.

Nullum tam potens est, tam efficax remedium in adversitatibus, medicamentum contra ardorem libidinis, quàm memoria Passionis CHRISTI. S. Augustinus.

Non possum terreri multitudine peccatorũ, si mors Domini in mentem meam venerit. Idem.

Veniat ergo semper in mentem Passio CHRISTI, precor.



* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

METHODUS
faciendi Meditationem.

UT aliqua facilis Regula habeatur, scilicet fiat oratio mentalis sine confusione, communiter octo modis ex ordine enumerandis à variis Ascetis fieri debet.

1mus Modus est. *Præparatio quàm fieri potest diligentissima, quæ ipsa quoq; duas partes in se continere debet.* 1mā. *Scilicet præter punctum sibi propositum ad meditandum, lectum vel auditum, aut etiam ex propria sua præfixum mente, imprimis & ante omnia necesse repellere omnes vanas cogitationes signo Crucis, vel aquâ benedicta.* 2dam. *Scilicet exercendi actus fidei, spei, & charitatis.* *In* actu Fidei *considerando præsentiam DEI seque veluti stantem coram Majestate ejus circumdata Martyrum, Virginum, SS. nec non Angelorum Corona credere.* *In* actu Spei *sperando misericordiam, tam in hac quàm in altera vita se à Domino obtenturum sperando mercedem*

pro

pro ſuis meritis, quantumcunq; bonis dicendo cum Pſalmiſta: Sit Domine miſericordia tua ſuper nos quoniam ſperavimus in te. *In* actu Charitatis. *Sic dicendo: Amo Te Domine ſuper omnes mundi cæliq; delicias, & ideo appretio te magis quam mundi cæli gazas. Amo te quia es ſumme bonus, ſumme miſericors, Creator meus, & Redemptor meus, omni momento Benefactor &c.*

2dus modus eſt: *Meditatio, ubi attentiſſimè & ſine diſtractione* v.g. *de Paſſione Domini noſtri JESU Chriſti, meditando quanta amore noſtri paſſus, quantum beneficium amoris præſtitit, mori dignatus, ut nos vivamus &c. & ſic extendendo.*

3tius modus. *Eſt Reflexio, reflectendo ſupra proprium ſtatum ſuum ita miſerum, quia in ſtatu eſt ſemper peccati, & vilipẽſionis tàm magni pretii in Paſſione Chriſti exiſtentis unde pendet ſalus æterna. Quâ propter reflectendo ſe intelligat: pẽdet infernus: niſi egero pœnitentiam, niſi cognovero quantis in Paſſione Chriſti affluo beneficiis, niſi particularia vitia, peccata innumera contra Deum, contra proximum,*

mum, contra me ipsũ, quorũ præmiũ (DEUS me servet) infernus est, vitavero.

4tus modus est: *Dolor seu contritio pro illis omnibus directè peccatis quæ hac septimana vel die sunt perpetrata, & hoc fieri debet ex alto flagrantissimoq; amore, corde.*

5tus modus est: *Propositum firmũ amplius emendandi; à vitiisq; talibus, & talibus solitis abstinendi, Deoq; majori fervore serviendi, Passionis merita intelligẽdi.*

6tus modus est: *Petitio* v.g. *petendo gratiam à Domino servandi hoc propositum à vitiis & peccatis abstinendi, virtutibusq; particularibus insistendi,* vg. *Patientiæ, humilitati &c.*

7mus modus est: *Oblatio offerendo illam meditationem, bona opera, affectꝰ Sanctorum, & qualemcunq; injuriam sibi illatam à proximo &c.*

8vus modus est. *Gratiarum actio pro innumeris ab ipso suæ conceptionis momẽto beneficiis, semper hucusq; præstitis à benefactore Domino meo JESU Christo gratias agendo, pro sua vocatione, pro eo quod in fide Catholica fueris natus &c.*

PRÆ-



PRÆPARATIO
AD MEDITATIONEM.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

ORATIO.

Singulis Meditationibus præmittenda.

OMnipotens ſempiterne DEUS, ego indigniſſimus peccator coram immenſa bonitate tua me conſtituo, Teq; hic præſentem omni reverentia & ſubmiſſione adoro, ac rogo ſuppliciter ne me deſpicias ſervum tuum, ſed inveniā gratiam & miſericordiam in oculis tuis, ut virtutes & legem tuam digne meditari valeam ac exaudiri merear in cōſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ, eaq́; omnia quæ ad nominis tui laudē animæq́; meæ ſalutem agenda eſſe cognovero opere ipſo compleam. Per Dominum &c:

ORATIO 2.

Ex D. Bernardo dicenda ante vel poſt Meditationem.

O JESU! JESU mi, ad Paſſionis Tuæ glorioſa inſignia in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victorioſæ Crucis regale vexillum in Nomine Tuo CHRISTE adoro. Tuum ſpineum diadema, Tuos rubentes Sangvineos clavos, Tuo ſacro Lateri immerſam lanceam, Tua vulnera, Tuum Sangvinem, Tuam mortem, Tuam ſepulturam, CHRISTE ſupplex adoro & glorifico. Confige Cruci Tuæ manus meas, & pedes meos, ac totum paſſioni Tuæ conforma ſervum tuum Domine.

A
M † E
N.

§§§§§†§§§§§

J.N.R.J.

† *†* *†*

J. N. R. J.

MEDITATIO I.

JESUS Paſcha juxta legem cum Diſcipulis manducavit.

Qui legi non ſuberat, legem obſervat, quid ego ſubditus?

O JESU! exitus aquarum deducant oculi mei, quia non cuſtodivi legem tuam.

MEDITATIO II.

Diſcipulorum, etiam Judæ, pedes lavat, exoſculatur.

Dominus ſervis! Magiſter diſcipulis! non enim venerat miniſtrari ſed miniſtrare. Dic tu ſuperbe: nunquid ſervus ſupra Dominum? Diſcipulus ſupra Magiſtrum?

O JESU! viciſti ſuperbiam meam humilitate tua.

MEDITATIO III.

A Juda venditur triginta argenteis, qui

Sangvi-

Sangvine ſuo venerat emere peccatorem.

Ecce tanti te fecit DEUS! vis ſcire, quanti tu illum facias? propter modicam voluptatem offendis & vendis.

O JESU! quam doleo me Te toties ſic appretiaſſe! malo millies, & millies mori, quàm Te offendere.

MEDITATIO IV.

Amorem Diſcipulis ceu ſimbolum cõmendat, ſcilicet; qui totus erat amor, ex abundantia cordis loquebatur.

Qui ergo non amat, putas illius noſcetur Diſcipulus?

O JESU! amor meus, cur tam ſero Te amavi & proximum? amo & amabo in æternum.

MEDITATIO V.

Panem convertit in Corpus ſuum, idq; nobis in cibum reliquit. Sic optabat uniri nobis.

Ex hoc patebit, an non viciſſim ames, ſi & tu anheles hoc ei cibo uniri.

O JESU! quid ni amem Te mei tam amantem. Quis mihi det, ut de Carne tua ſaturer.

ME-

MEDITATIO VI.

Vinum convertit in Sangvinem, quo potemur.

Philtrum hoc eſt, quo in ſui amorē velimus, nolimus, cogat.

O JESU! Sangvis Tuus me inebriet, ut nihil ſciam, quam Te toto corde, totâ animâ, tota mente & totis viribus amare.

MEDITATIO VII.

Hymno dicto exiit in hortum olivarū, ultro & cum gaudio vadit ad paſſionem amore mei.

Ego ad obſequium Dei vocor, ducor, ſtimulor, trahor & non vado.

O JESU! libens & volens ſequor Te ne à Te olim audiam; quia vocavi & renuiſti, ego in interitu Tuo ridebo.

MEDITATIO VIII

Triſtatur ad mortem. Quis? Gaudium Angelorum. Cur? quia fera peſſima (peccatum) me devoravit.

Et ego auſim in rebus peſſimis lætari & exultare, cum male fecerim?

O JESU! execror hoc ipſo momento

omnia delicta mea & detestor memetipsū, & quidquid ad peccandum aliquid vel potuit, vel potest allicere.

MEDITATIO IX.

In tristia ad Patrem orat, si possibile sit, transeat calix dummodo non aliter, quam Patri placeat.

Ego in afflictione à creaturis solatiola emendico, meum velle, Divino præpono.

O JESU! Tu esto Consolator animæ meæ, absit, ut quæram aliquid extra Te, aut aliter quam Tibi placeat

MEDITATIO X.

Fit sudor ejus sicut guttæ sangvinis. Nisi peccasset in horto voluptatis homo, non funderet Sangvinem in horto Getsemani DEUS.

Tanti adhuc voluptatem faciam?

O JESU! vilescat mihi vanitas, desipiat voluptas, sordescat quidquid mundus æstimat, Tu solus mihi placeas, & sufficit.

MEDITATIO XI.

In summa angustia sustinuit, qui consolare-

laretur, & non invenit ex discipulis suis, qui secum una hora vigilaret.

Heu! mea socordia est, de animæ salute agitur, dormio; offendendus est DEUS, vigilo.

O JESU! confige timore tuo carnes meas, & spiritum meum corrobora, ut semper pro honore tuo & animæ meæ salute vigilem, irruit enim adversarius, quærens quem devoret.

MEDITATIO XII.

Sic Patri æterno obedire & pro homine pati amat, ut hostibus occurrat, semetipsum offerat.

Obedientia nisi prompta nulla est, quæ ergo mea,

O JESU! sic doce me semper & tuam, & æterni Patris tui voluntatem facere, ut prompte, & alacriter Divinæ legi obediam.

MEDITATIO XIII.

Accedit Judas proditor, admittit; salutat, non recusat: osculatur, non rejicit, insuper amicum vocat.

Nisi

Nisi & inimicos amo, non est charitas CHRISTI in me.

O JESU! aufer à corde meo omne odium, ut nemini malum pro malo reddam, sed inimicos etiam in tuis visceribus complectar.

MEDITATIO XIV.

Non vult defendi gladio Petri, quid ità? ut calicem passionis biberet, quem dederat Pater.

Quomodo ego calicem quem DEUS mihi præbet bibo?

O JESU! accipiam de manu tua & prospera & adversa, ad omnia æque paratus & benedicam nomen tuum.

MEDITATIO XV.

Abscissam à Petro auriculam Malcho sanat, Sacerdotum principis servo, hosti suo.

Immensà planè charitas CHRISTI, & mea quàm exigua, quæ hostibus non benefacit.

O JESU! da mi hanc charitatem tuam imitari, & de pessimis hostibus quàm optime mereri, nè charitate tua fiam indignus.

MEDI-

MEDITATIO XVI.

Capitur, & ligatur; Quis? Dominus omnium. Cur? ut me ruptis vinculis sibi mancipet.

Et ego ruptis vinculis charitatis ejus, me rursum induam vinculis peccati?

O JESU! quam infelices horæ, quibus fui ad malum liber; disrumpe hæc vincula, ut non sim servus peccati, sed tuus, nam tibi servire regnare est.

MEDITATIO XVII.

Captus deseritur. Quis? Maximus benefactor. A quibus? à suis quibus paulò, antè dederat se in cibum. Cur? ex timore.

Ità & ego agam cum DEO meo? o pudor!

O JESU! non timeam eos quominus Te sequar, qui ubi occiderint corpus, non habent quod amplius faciant, sed timeam Te, ut sequar Te, qui potes & corpus & animam mittere in gehennam.

MEDITATIO XVIII.

Trahitur & raptatur in urbem veluti latro, ut patiatur. Cur sic?

Nimi-

Nimirum eum servire feci in peccatis meis & adhuc pergo?

O JESU! trahe me post Te, & fac me servire in mandatis tuis. Ah cur Te offendi! ah si nunquam Te offendissem.

MEDITATIO XIX.

Stat coram Anna, ceu malefactor corã judice.

Ego sum, qui peccavi. Iste qui Agnus innocens est, quid mali fecit? si innocens sic judicatur, quid me nocentem manebit?

O JESU! da mihi ut quod male feci, prius corrigam, quàm stem coram te Judice, à judiciis enim tuis timeo.

MEDITATIO XX.

De Discipulis, qui, quales, ubi sint? rogatur. Tacet. Cur? cum bene de iis loqui non potuit, male noluit.

Quam infrænata mea lingva!

O JESU! pone ori meo custodiam, ut non delinquam in lingva mea; veniant cordi verba mea, antequam semel ad lingvam.

MEDI-

MEDITATIO XXI.

Rogatus, quid docuiſſet, reſpondet, ſe non in occulto ſed palàm in templo locutum. Non tacet, ne veritas patiatur.

Væ mihi! veritas premitur, & ego taceo?

O JESU! ne permitte à vanitate cor meum ità occupari, ut aut veritati tuæ me opponam, aut ei teſtimonium perhibere formidem.

MEDITATIO XXII.

Alapâ cæditur, hanc alapam ei veritas peperit.

O indignitas! Dominus cæditur à ſervo, & injuſtè, & patitur. Ego cùm pro meritis puniar, excandeſco.

O JESU! Quàm ſvavis eſt ſpiritus tuus; ut tuus ſim, doce me non maledicere cùm maledicor; non repercutere, cùm percutior.

MEDITATIO XXIII.

Mittitur ad Caipham anni illius Pontificem accuſandus. Cur? quia captus eſt in peccatis noſtris.

Ergo quod ego deliqui, ab illo exigitur.

O JESU! Non amem te, quia ſic amâ-

sti me? non etiam amore tui patiar ego, tot scelerum reus? dignare me JESU pati pro te.

MEDITATIO XXIV.

Accusatus falsò, nihil excusat: nimirum accusabant eum peccata mea.

Ego in tantis verè reus, me justifico?

O! nos miseri filii Adæ, qui tam prompti sumus ad excusandas excusationes in peccatis! quid fiet cùm venerit ad judicandum, cui omnia patent.

MEDITATIO XXV.

Fatetur se filium DEI, & dicunt: blasphemavit.

Grandis injuria! eā potuit ulcisci, & noluit; meas ego ulcisci non possū & volo?

Tu dixisti o! DEUS: mihi vindicta, & ego retribuam; absit igitur, ut eam mihi vindicem.

MEDITATIO XXVI.

Dicunt reus est mortis, Quæ causa mortis? se fecit Filium DEI.

Nunquid non magìs ego sum reus mortis, qui cum essem filius DEI, feci me Filium Diaboli.

O JESU!

O JESU! per passionem tuam destrue in me, quod ego feci, ut reformetur in me, quod tu fecisti.

MEDITATIO XXVII.

Spuunt in faciem ejus. Cur hoc? quia peccata mea tam vilem fecerunt eum.

Et ego caput meum effero?

O JESU! intolerabilis est superbia mea, ut ubi majestas humiliatur, vermis infletur, & tumescat.

MEDITATIO XXVIII.

Certatim infliguntur ei alapæ, & instar mancipii non aperit os suum.

Et ego alapã alapâ, imo morte ulciscar? profectô non sapio, quæ CHRISTI sunt.

O JESU! quàm tibi sum dissimilis, væ mihi! si has alapas, propter peccata mea, in me velis ulcisci! ah parce!

MEDITATIO XXIX.

Facie velata eum cædunt, dicentes: prophetiza, quis te percussit?

Grandis blasphemia, sed à me, dum pecco, dico: quis videt?

O JESU! tu vides, tu scrutaris corda & renes! ubi me abscondam à vultu iræ

tuæ? frustra latere volo videntem omnia.

MEDITATIO XXX.

Petrus negat se nôsse Christum, noverat in cæna, cum eo mori paratus, nunc in vinculis non novit.

Sic scilicet ago cum CHRISTO.

O JESU! En qualis meus amor! prospera fluunt, sequor; adversa ingruunt, fugio; non ille verè amat, qui non semper amat.

MEDITATIO XXXI.

Dominum negat cum juramento. Ubi sic Petrus profecit? inter malos.

Difficilè est inter malos, malum non fieri, pejorem fieri credo.

O JESU! Non adhæreat pes meus semitis impiorum. Quid prodest versari cum iis, quibus tam pronum est labi.

MEDITATIO XXXII.

Tertiò cæpit detestari, & anathematizare, quia non nôsset CHRISTUM. Unde tanta ruina Petri?

Turpiùs semper labitur, qui non illicò surgit; Heu me! quò ego tandem labor?

O JESU!

O JESU! Succurre cadenti! si cecidero in profundum, da manum surgenti.

MEDITATIO XXXIII.

Petrus fit præceps: ruentem respicit JESUS, & erigit.

Ruentes ego negligo, vel etiam impello. O quanta JESU bonitas! quanta mea malitia!

JESU verè non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat! respice etiam in me, ut verò animarum zelô accendar.

MEDITATIO XXXIV.

Ad CHRISTI aspectum Petrus egreditur foras, amarè deflet peccatum suum.

An non & ego in peccatis meis toties à CHRISTO respicior? ubi lacrymæ? ubi pænitentiæ?

O JESU! verè facis solem tuum oriri super bonos & malos, aspice me, & non permittas me infigi in luto profundi.

MEDITATIO XXXV.

Reliquum noctis inter militum illusiones & injurias, in silentio pro peccatoribus orans, peregit.

Et ego illud voluptatibus consecro.

O JESU! quantum me amas, qui semper mei recordaris; Heu! quantulum ego te, qui tui tam facilè obliviscor.

MEDITATIO XXXVI.

Summo mane vinctus trahitur per plateas Hierusalem ad Pilatum, ubiquè relinquens signa amoris sui, & patientiæ.

Ego vinctus diaboli in plateis Babylonis, relinquo ubiquè signa malitiæ.

O JESU! disrumpe hæc vincula mea, ut fiam vinctus tuus in vinculis charitatis.

MEDITATIO XXXVII.

Accusatus subvertisse gentem, & negâsse tributum Cæsaris, innocentiâ fretus silet, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnia, & reddi, quæ sunt Cæsaris Cæsari, jussit.

Me Conscientia arguit, & excuso.

O JESU! quàm tu innocens, quàm ego sum nocens, & accusari tamen non fero, Prôh! meam superbiam!

MEDITATIO XXXVIII.

Rogatur num Rex sit? fatetur, sed regnum suum negat esse de hoc mundo.

JESUS Nullum amat commercium

cum

cum hoc mundo, & ego ſic ambio!

O JESU! non ſim de hoc mundo, quem Paraclitus tuus arguet de peccato, ſed ſim inter eos, quos tu de hoc mundo elegiſti.

MEDITATIO XXXIX.

Totus laſſus promptiſſimè abit ad Herodem, ut me liberet ab eo qui circuit quem devoret.

Ah! quàm lentus ego ad DEI obſequium, quàm promptus ad malum.

O JESU! Omnes greſſus tui clamant quòd ames me? cur non etiam amem te? O utinam te ſemper amâſſem, & porrò amarem.

MEDITATIO. XL.

Herodes in multis interrogat, at JESUS nihil reſpondet, coram Rege tacet. Quid cauſæ? noluit ſanctum dare canibus.

O Lingva mea, quàm es incauta!

O JESU! lingva maculat totum corpus, cuſtodi ergo vias meas, ut diſcam tempus loquendi, & tempus tacendi.

MEDITATIO XLI.

Æterna DEI ſapientia, Rex Regum, DEI

filius ceu ſtultus irridetur & ſuſtinet.

Et ego quæro honorari?

O JESU! quàm longè abſum à viis tuis! heu me, quid diligo vanitatem? converte me, ut propter te contemni non horream.

MEDITATIO XLII.

Duci & reduci ſe inhumaniter ſinit, quò Judæorum barbaries cupit.

Ego à tam ſvavi DEI manu ducor, & recalcitro?

O JESU! Obedientiſſime agne, tolle à corde meo hanc duritiem, & inobedientiam meam.

MEDITATIO XLIII.

JESUS proponitur populo cum Barabba, & ſuſtinet cum homicida cum latrone conferri, ut me lucretur.

Quid ego ſuſtineo pro CHRISTO?

Elegi mi JESU abjectus eſſe in domo tua, & arbitratus ſum omnia, ut ſtercora, ut te lucri faciam.

MEDITATIO. XLIV.

Populus relicto JESU, petit dimitti Barabbam. Verè noviſſimus virorum JESUS.

Et ego primas dignitates amo, quæ insania?

O JESU! Si sic in Regno tuo novissimi futuri sunt primi, sim omnium peripsema in hoc mundo.

MEDITATIO XLV.

Rogante Pilato, quid faciat de JESU, clamant: tolle, tolle, crucifige eum! sic remuneratur, qui omnia bene fecit.

Quid de me fiet, qui nihil quàm male feci?

O JESU! tolle me tecum in Crucem, ut sit mihi mundus crucifixus & ego mundo.

MEDITATIO XLVI.

Protestatur Pilatus nullam se mortis caussam in eo invenire, ideo ad flagella damnat.

Innocens ad flagella; quò ego nocens?

Ecce JESU, filius tuus sum, sed malus: in flagella paratus sum, tu quem amas castiga.

MEDITATIO XLVII.

Nudatur vestibûs, tectus solâ innocentiâ suâ, erubescit.

Nudor

Nudor ego gratiâ, justitiâ, innocentiâ, & exulto. Væ mihi! ad nuptias agni nemo admittitur non vestitus veste nuptiali.

Ad te redeo sponte mi JESU! peccavi in Cælum & coram te! obsecro, redde mihi stolam primam nè appareat confusio nuditatis meæ.

MEDITATIO XLVIII.

Ligatur ad columnam; scilicet instar columnæ stat amor ejus inconcussus.

O Pudor! ego arundine mobilior, quâvis aura vanitatis agitor, & dejicior.

O JESU! Ad columnam tuam meam mobilem voluntatem adstringe, ut verè dicam, quis me separabit à charitate?

MEDITATIO XLIX.

Flagellatur tam dirè, ut à planta pedis usquè ad verticem non sit in eo sanitas.

Nec mirum, tam dirè iniquitatem suam prolongaverunt peccatores, quorum ego primus sum.

Hæc agnosco, & carnis voluptatibus indulgeo? O JESU! parce mihi, & per hæc ipsa vulnera exstingve in lumbis humorem libidinis. MEDITA-

MEDITATIO L.

A columna ſolvitur, non ad quietem, ſed ad novas pænas, & nè quid moretur, veſtes ipſe colligit.

Heu me! ad bonum invitor, & ubiquè moror.

Ah JESU! Excita me, ut ſint pedes mei tam veloces ad bonum, ut hactenus fuerunt ad malum.

MEDITATIO LI.

Veſtibûs detractîs (ô quanto dolore) ſpinîs coronatur.

Scilicet meus luxus jam roſas decerpſerat; adhucné dicam cum impiis, coronemus nos roſîs?

Non mi JESU non, nec enim decet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum

MEDITATIO LII

Detritam humeris purpuram injiciunt. Hic DEI tui eſt faſtus!

Putas te purpurâ, byſsô, & aurô ſuperbientem agnoſcet?

O JESU! nonné anima plus eſt, quàm Corpus? quid ergo ipſum ornare ſatago, illam ſordeſcere permitto.

MEDITA-

MEDITATI LIII

Arundinem pro ſceptro præbent; ſtatuam putes; Sic nullîs injuriîs movetur.

Cur ego injurias injuriîs compenſo?

O JESU! fac me docilem, ut exemplô tuô diſcam injurias amore tûi perferre.

MEDITATIO LIV.

Per ludibrium flexo poplite adoratur ùt rex: tributi nomine dantur alapæ & ſputa.

DEO illudit mundus, & mihi parcet?

O JESU! non eſt ſervus major Dominô ſuô, irridear à mundo, ut ſervus tuus eſſe agnoſcar.

MEDITATIO LV.

Sic ornatum Pilatus populo proponit, dicens: ecce homo.

Jnſpice hunc hominem & opera ejus, & viciſſim reſpice te & opera tua.

Ah! non ſum ille, quem tu formâſti, innocens, juſtus, & pius, &c. Væ autem mihi. Sed mi bone JESU, nè me perdat iniquitas mea, quem fecit omnipotentia tua.

MEDI-

MEDITATIO LVI.

Populus hoc ſpectaculo nihil movetur, crudelis populus!

Longè Crudelior ego, ſi non movear ad te ſequendum.

O JESU! cur non ſequar te? qui ſequitur te, non ambulat in tenebris, adjuva infirmitatem meam.

MEDITATIO LVII.

Populus eum ad Crucem poſcit, ipſe viciſſim eum ad vitam.

Quàm bonus JESUS, quàm malus populus? & in hoc populo ego!

O JESU! Sic amas crucem, ut pro ea vitam reddas. Fac me amare crucem, ut æternùm vivam.

MEDITATIO LVIII.

Pilatus ut habeatur Amicus Cæſaris, damnat innocentem ad mortem, infandum ſcelus!

Ut homini placeat, voluit diſplicere DEO. Sed ſcelus hoc meum eſt.

O JESU! quàm diu hominibus placere quæro, tuus ſervus eſſe non poſſum; diſpliceam ergo hominibus, mundo, Carni, Dæmoni, ut tibi ſoli placeam. MEDI-

MEDITATIO LIX.

Exhibita cruce exultat velut gigas, ad currendam viam ſuam, amplectitur, exoſculatur.

Egòne amicus CHRISTI ero, ſi inimicus ſum Crucis?

O JESU! abſit mihi gloriari, niſi in cruce tua, per hanc mihi mundus Crucifixus & ego mundo, ut tuus ſim.

MEDITATIO LX.

Bajulans ſibi crucem egreditur Jeroſolymâ

Nunquid eſſe diſcipulus ejus potero, ſi non accepero Crucem meam, & ſecutus fuero?

Exeamus ad te JESU, extra Caſtra vanitatis, & mundi, improperium Crucis tuæ portantes.

MEDITATIO LXI.

Sub Cruce corruit, ſcilicet iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me, & te premunt.

Ego adhuc crucem aſpernor?

Tu mi JESU; onus meum portâſti, quidni poſthac tuum ego jugum portem,

ut

ut alter alterius onus portantes adimpleamus legem.

MEDITATIO LXII.

Erecto à lapsu occurrit Mater, quo compassionis affectu? optabat vel pro illo, vel cum illo pati.

Accusa te apud Matrem, & roga, ut & tibi surgenti pia occurrat.

Tot ego ô Mater tibi sum causa dolorum! eja Mater fons amoris me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam, & tu mihi in necessitate, pia occurras.

MEDITATIO LXIII.

Iterum sub cruce concidit. Sic gravant iterati lapsus mei.

Heu video! & adhuc libet peccare?

O JESU! nunquam in posterum labar! dixi, nunc cœpi, fiet id mi JESU, gratiâ tuâ me adjuvante, sinè qua nihil possum.

MEDITATIO LXIV.

Cyrenæum Crucis socium admittit.

Quàm libens & te admitteret, si modò velles: vocat, ast renuis.

O JESU! qui non bajulat Crucem suam, & sequitur te, non est te dignus, (ais.) Sequar ergo cum cruce mea, ut te sequar:

sequar: post te ibo, ut ad te perveniam.

MEDITATIO LXV.

Veronicæ pro sudario oblato imaginem suam in eo relinquit, quantillum obsequium! quantum præmium!

Pro tantis ejus beneficiis quantillas tu gratias refers?

O JESU! quid retribuam tibi, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Ecce me totum tibi trado.

MEDITATIO LXVI.

Ad fœminas flentes conversus, nolite flere super me (innocentem) ait. Sed super vos, & super filios vestros (nocentes:) flete.

Hîs lachrymîs credo nihil gratius DEO, tibi nihil utilius.

O JESU! quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum, ut defleam peccata mea? Si enim in te viridi ligno sic ea puniuntur, in me arido quid fiet?

MEDITATIO LXVII

Ad montis radicem denuo cum Cruce prosternitur.

Quale pondus meorum peccatorum! CHRISTUM in terram dejiciunt? Me nisì resipiscam detrudunt in infernum

O JESU! porrige mihi manum tuam, ut surgam velociter, nè cadam in profundum.

MEDITATIO LXVIII.

Erectus in montem Calvariæ ascendit, non frangitur tot lapsibûs ejus amor; attingit à fine usq; ad finem fortiter.

An talis & meus ardor? confundor totus.

O JESU! excita teporem meum, aut enim usquè ad finem perseverandum mihi in bene cæptis, aut pereundum est.

MEDITATIO LXIX.

Exuitur vestibûs, ut nudus moriatur.

Quàm bene ego moriar, si priùs spoliem me veteri homine.

Fiat o JESU! fiat! novum induam hominem, qui renovetur in agnitionem secundùm imaginem tuam.

MEDITATIO LXX.

Potatur felle, ut nulli membrorum parcatur.

Ego quidem nullo non membro offendo; ſed iniquè plurimis parco.

Tu igitur bone JESU dolore ea affligens non parce: ut in quo pecco, in eo & puniar, & hæc ſint ſolatia mea.

MEDITATIO LXXI.

Inclinat ſe in Crucem triginta tribus annis exſpectatã propter me, exoſculatur.

Tantum ego CHRISTUM amo, quantum Crucem.

O JESU! tolle, tolle, crucifige carnem meam cum vitiis & concupiſcentiis meis, ut totus amem te.

MEDITATIO LXXII.

In cruce extenditur; clavîs affigitur (ô dolor!) & ſilet, quia ſic placet Patri ſuo.

Quot querelis ego Crucem porto?

O JESU! deteſtor imperfectam patientiam meam! Ure, ſeca, prout vis, ut in æternum parcas, fiat in omnibus voluntas tua.

MEDITATIO LXXIII.

Levatur in altum, ut omnes videant quid agendum, ut vitam æternam habeant.

Ah video!

O JESU! Si ſic oportuit te pati, ut intrares in Regnum tuum! quid de me fiet, qui nec quidquam facio boni, nec quidquam patior mali.

MEDITATIO LXXIV.

Nudus pendet in Cruce, jam numera, licet, vulnera, quæ amore tui tulit.

Jn te qualia numerabit? ipſius, an mundi amore, accepta?

O JESU! quàm ſordet mihi mundus, cùm te in Cruce ſic nudum aſpicio.

MEDITATIO LXXV.

Jnter latrones pendet medius, non horret inter eos pendere, pro quibus venerat animam ponere.

Vis CHRISTO placere? noli deſpicere peccatores.

O JESU bone, cur non diligam, quos tu ità dilexiſti, & inter eos memet?

MEDITATIO LXXVI.

Jmponitur Cruci titulus: JESUS Nazarenus Rex Judæorum, quem titulum aliàs fugit, in Cruce admittit.

Diſce, is verè Rex eſt, qui mundo, & cui mundus eſt crucifixus.

O JESU! doce manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, ut indomitas meas paſſiones domem, & Rex fiam.

MEDITATIO LXXVII.

Patrem orat pro perſequentibus ſe: quod aliàs verbô: nunc etiam exemplô docet.

Hoc tu non petes? ergo nec aptus es Regno DEI.

O JESU! ut audiam aliquando à te: venite benedicti: maledicentibus benedicam.

MEDITATIO LXXVIII.

Dicunt: ſi Filius DEI es, deſcende de cruce. Non audit, nam filius DEI contra voluntatem Patris non facit.

Tu autem contrà facis, an ergo DEI filius es?

O JESU! ſi ità vis, veniant in me potiùs omnia tormenta Diaboli, ut patiar & filius DEI ſim.

MEDITATIO LXXIX

A malo latrone audit: ſi tu es CHRISTUS, ſalvum fac temet ipſum, & nos. Injuriam hanc tulit placidè CHRISTUS,

ſed

sed ægrè interitum latronis & tuum.

Ego in meo & aliorum rideo.

O JESU! ne permittas me interire, pro quo tam indigna dignatus es subire.

MEDITATIO LXXX.

Pro CHRISTO bonus latro perorat, & malum arguit: nequè tu times DEUM (inquit) nos digna factîs recipimus, hic verò nihil mali gessit?

Innocentia etiam pressa patronum invenit vel latronem; innocenter pateris? nil metue.

O JESU! Agne innocens, tu verè nil mali gessisti, sed ego multum, da, obsecro, veniam roganti.

MEDITATIO LXXXI.

Bonus latro in fine vitæ ad DEUM se convertit, & Paradisum impetrat.

Nulla pænitentia sera est, si seria; rarò autem sera, est seria.

O JESU! qui MARIAM absolvisti, & latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti, da ut sinè pænitentia non moriar.

MEDITATIO LXXXII.

Tenebræ factæ sunt super universam terram.

terram. Tam indignum erat DEUM ab hominibus Crucifigi, ut sol intueri dedignaretur.

Mirum; si mihi unquam sol oriatur qui in peccatis meis toties eum Crucifigo.

O JESU! Non videat me amplius sol, nisi pœnitentem, aut patientem.

MEDITATIO LXXXIII.

Inter horrendos dolores non obliviscitur Matris, quæ Cruci adstabat.

Hanc pietatem nonné tu debes MARIÆ, quæ tibi assistit? quoties, tamen oblivisceris, vel maximè cùm tibi bene est.

O JESU! non sum dignus vocari filius MATRIS tuæ, fac me sicut unum de mancipiis ejus vilissimis.

MEDITATIO LXXXIV.

Matrem nè orbam relinquat, sibi substituit Joannem, & te; ut sit, qui ejus curam habeat.

Qualem tu ejus Curam habes?

O JESU! par est ut omnes meæ Curæ in id unum posthac tendant, ut tuum & tuæ

MATRIS

MATRIS honorem & amorem ubiq; promoveam.

MEDITATIO LXXXV.

Nê gratìs hoc obſequii petat à Joanne, illum (& nos in Joanne:) viciſſim commendat Matri.

Si vis, ut illa monſtret ſe Matrem, te monſtra eſſe filium, diligit, ſed diligentes ſe.

O JESU! ſic me dilexiſti, ut mihi Matrem tuam dares! quidni etiam ego & te, & illam ſic diligam, ut vobis me totum dem?

MEDITATIO LXXXVI.

Clamat: DEUS meus, DEUS meus! ut quid dereliquiſti me?

Tam grave eſt peccando DEUM à me derelinqui, ut ideo CHRISUS à Patre ſit derelictus.

O JESU! noli me lege talionis punire. Peccavi in Patrem tuum & contra te, adjutor meus eſto, nè derelinquas me.

MEDITATIO LXXXVII.

Ut ſcriptura impleatur, clamat; ſitio Qui ſic obedit DEO, ut nè jota, aut

apicem de lege prætereat, verè est filius DEI.

Quid dicis de te?

O JESU! quàm tu obediens fuisti, tam ego inobediens! agnosco culpam, miserere.

MEDITATIO LXXXVIII.

Jn siti sua potatur acetô.

Ego vinô æstuo! an injuria mihi fiet, si in flamma sitienti mihi nec aquæ guttula concedetur?

O JESU! non in Commessationibus, aut in ebrietatibus, clamat tuus Apostolus. De te bibam, ut fiat in me fons aquæ salientis in vitam æternam.

MEDITATIO LXXXIX.

Dicit: consummatum est, opus scilicet, quod dedit Pater ei: hoc perfectionis est

Nisì idem de me dicere ante mortem possim; venient hostes, & illudent, dicentes: hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare.

O JESU! per hoc verbum tuum, oro, sicut dedisti mihi incipere, ità da bene cœpta consummare.

MEDITATIO XC.

Jn manus Patris commendat ſpiritum, à quo acceperat.

Et tuum à DEO accepiſti, qualis injuria, ſi eum mundo, carni, diabolo commendas.

O JESU! Ut patri moriturus ſecurè Spiritum commendem, tibi nunc eum vivus commendo: tu illum ſerva, ut non perdam.

MEDITATIO XCI.

Mortuus, ut oſtendat ſe Patri obedientem uſquè ad mortem, caput inclinat.

Et quid tu? obedire recuſas illi, qui pro te uſq; ad mortem crucis ſe obedientem Patri ſuo oſtendit.

O JESU! verè jugum tuum ſvave eſt, & onus, quod imponis, levè! quidni cervicem incurvem, & portem illud? utinam ab adoleſcentia mea tuliſſem!

MEDITATIO XCII.

Moritur, & chirographum decreti quod erat adversùs nos, delet.

Cui jam magìs, decet, vivas? mundo, carni, dæmoni, an CHRISTO? hic pro te mortuus, illi quid fecerunt?

O JESU!

O JESU! Mille titulis tuus sum, accipe me: tuus sum, tuus ero: tibi vivam, tibi moriar o JESU!

MEDITATIO XCIII.

Mortuo JESU terra quatitur, petræ scinduntur, monumenta aperiuntur.

Certè tempestas hæc propter me oritur! & adhuc libet peccare?

O JESU! pone mortem & Passionem tuam inter me & judicium tuum ut evadam tremendam æternæ mortis sententiam.

MEDITATIO XCIV.

Centurio & alii visis tot signis percutientes pectora sua revertebantur.

Certissima fide ego credo, hæc propter mea scelera contigisse, & à via malâ nondum revertar?

O JESU! quàm longè aversus sum: ecce nunc tandem revertar, ne abjice me.

MEDITATIO XCV.

Tam constanter amavit, ut etiam amaret mortuus: & ut se planè exvisceraret, sinit sibi latus aperiri.

Nisi hic cor cordi ejus uniam, homo non sum.

O JESU!

O JESU! accipe cor meum & uni cordi tuo: ut nihil amem nisi te.

MEDITATIO XCVI.

Effluit Sangvis & aqua; hoc animæ ſanandæ balneum inſtruit.

Sangvis amorem langventium accendit: Aqua mundanum ardorem reſtingvit.

Nonné & tu eges hoc balneo?

O JESU! quid quæro animæ meæ medelam extra te? ecce aperuiſti in pectore tuo fontem ſalutarem animæ meæ.

MEDITATIO XCVII.

E Cruce à Nicodemo deponitur, ipſe deſcendere noluit.

Diſce! per Crucem, ſi aliorum arbitrio ex ea deponeris, itur ad Cælum, ſi eam excutis, itur ad Crucem æternam.

Bona Crux accipe me, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.

MEDITATIO XCVIII.

Sicuti vivus, ità & mortuus non alio ſinu, quàm Virgineo Matris amat ſuum Corpus excipi.

Quales ei delicias præbebit cor laſcivum? *O JESU!*

O JESU! jubes cor castum præbere, sed scio quòd non possim esse continens, nisi tu mihi des: da ergo, quod jubes, & jube, quod vis.

MEDITATIO XCIX.

Sindone munda à Joseph involvitur; sordesné mortuus patiatur?

Tu in corde tuo sordes amas, & in Corde vis JESUM recipere?

O JESU! Cor mundum crea in me & spiritum purum innova in visceribus meis

MEDITATIO C.

Jn alieno sepulchro tumulatur: nec sepulchrum in hoc mundo habuit, quia de hoc mundo non est.

Tu, quia tam multa de hoc mundo habes, an non de hoc mundo es? sed væ!

O JESU! tu me elegisti de hoc mundo, quid ergo quæro, in hoc mundo?

Ad M. D. G.

****†††****

ORATIO.

Contra diabolicos incurſus & turpes Cogitationes.

DEUS meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? recede à me nequiſſime ſpiritus per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem, Amen.

ORATIO placatoria S. CAJETANI pro Regno Poloniæ, & avertenda Peſte, fame, & locuſta.

℣. Ut Regnum hoc defendere, pacificare, Cuſtodire, & à locuſta conſervare digneris.

℟. Te rogamus audi nos, Domine miſerere.

Reſpice Domine Sancte Pater de Sanctuario tuo, & de excelſo Cælorum habitaculo, & vide hanc Sacroſanctam hoſtiam, quam tibi offert magnus Pontifex noſter Sanctus puer tuus Dominus JESUS pro peccatis fratrum ſuorum, & eſto placabilis ſuper multitudine malitiæ noſtræ, ecce vox Sangvinis noſtri JESU clamat ad te de Cruce. Exaudi

Domine

Domine, placare Domine; attende & fac, nè moreris propter temet ipſum DEUS meus, quia nomen tuum invocatum ſuper regnũ hoc & ſuper populũ tuum, & fac nobiſcum ſecundùm miſericordiam tuam, Amen.

Hæc Oratio dicenda ante Sacrum Ciborium aut Crucifixum conſvetudine Sancti CAJETANI.

ORATIO Sancti XAVERII pro Converſione Hereticorum & peccatorum induratorum.

ÆTerne rerum omnium effector DEUS, memento abs tte animas infidelium, Hæreticorum, & peccatorum procreatas, easquè ad imaginem & ſimilitudinem tuam conditas, ecce Domine in opprobrium tuum, hîs ipsîs infernus impletur, memento JESUM Filium tuum pro illorum ſalute atrociſſimam ſubîiſſe necem, noli quæſo Domine ultrà permittere, ut Filius tuus ab infidelibus & induratis peccatoribus contemnatur, ſed precibûs Sanctorum Virorum, & Eccleſiæ, Sanctiſsimi Filii tui placatus,

recorda-

recordare misericordiæ tuæ & oblitus idololatriæ, indurationis, & infidelitatis eorum effice, ut ipsi quoquè agnoscant aliquando, quem misisti Dominum nostrum JESUM Christum, qui est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus, cui sit laus, & gloria per infinita sæcula sæculorum.

A
M E
N.





